

AMISSIO STATUS CLERICALIS

SUMMARIUM: 1. Praeprimis dicimus quaedam praeuia circa statum personarum in genere et de diversis statibus vitae, de quibus sermo est in CIC, praesertim de statu clericali. 2. Deinde agimus de CIC 1917. 3. Consideramus postea tempus intermedium inter CIC 17 et CIC 83. 4. Tandem examen facimus CIC 83.

I. QUAEDAM PRAEVIA

1. Persona et christifidelis in Ecclesia

«Baptismo homo Ecclesiae Christi incorporatur et in eadem constituitur persona, cum officiis et iuribus quae christianis, attenta quidem eorum condicione, sunt propria, quatenus in ecclesiastica sunt communionem et nisi obstet lata legitime sanctio» (can. 96). Huiusmodi persona generatim appellatur in pluribus canonibus «Christifidelis»¹, cuius definitio ceterum

¹ P. LOMBARDÍA, *Los derechos fundamentales del Cristiano en la Iglesia y en la sociedad*, in *I diritti fondamentali del cristiano nella Chiesa e nella Società*, Atti del IV congresso internazionale di diritto canonico, ed. Giuffré, Milano 1981, 15-31; M. CONDORELLI, *I fedeli nel nuovo Codex iuris canonici*, in *Le nouveau code de droit canonique*, V Congrès international de droit canonique, Ottawa, 1984, Ottawa, 1986, vol. I, 319-344; AA.VV., *Gli stati giuridici delle persone nella Chiesa*, Atti del XIII congresso canonistico pastorale, Verona 14-17 settembre 1981, in *Monitor Ecclesiasticus* (1981) III-IV, AA.VV., *Lo stato giuridico dei ministri sacri nel nuovo Codex Juris Canonici*, Libreria editrice Vaticana, 1984; G. DIQUATTRO, *Lo statuto giuridico dei «Christifideles» nell'ordinamento di diritto canonico*, in *Apollinaris* (1986) 77-114; V. DE PAOLIS, *Stati di vita delle persone nella Chiesa, secondo il*

praebetur in can. 204 § 1:

«Christifideles sunt qui, utpote per baptismum Christo incorporati, in populum Dei sunt constituti, atque hac ratione muneris Christi sacerdotalis, prophetici et regalis suo modo participes facti, secundum propriam cuiusque conditionem, ad missionem exercendam vocantur, quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concredidit».

Idem sacramentum, id est Baptismus, fundat sive esse personam sive esse christifidelem in Ecclesia. Exinde sequitur aequalitas *«quoad dignitatem et actionem»* inter christifideles omnes (cf. can. 204). Non autem eadem est condicio et idem munus, sicut perspicue eruitur ex iisdem canonibus 204 atque 208. Missio enim adimplenda in Ecclesia est *«secundum propriam cuiusque conditionem»* (can. 204 § 1); atque omnes cooperantur ad aedificationem Corporis Christi *«secundum propriam cuiusque conditionem et munus»* (can. 208).

2. Status canonicus ad mentem codicis

1) Sed praeter «conditionem canonicam», codex memorat etiam «statum»². Can. 216 cum loquitur de iure ad actionem apostolicam promovendam, specificat *«secundum suum quisque statum et conditionem»*; can. 219 agnoscit ius quo gaudent christifideles omnes ut *«a quacumque coactione sint immunes in statu vitae eligendo»*³.

CIC, in *Episcopato, Presbyterato, diaconato*, a cura di E. CAPPELLINI, ed. Paoline, 1988, 75-144.

² G. SARACENI, *Il concetto di «status» e sua applicazione sul diritto ecclesiastico. Sintesi di una parte generale*, in *Archivio giuridico*, 1945, 107-160.

³ G. GHIRLANDA, *De variis ordinibus et condicionibus iuridi-*

2) Datur «status» vitae, communis omnibus christifidelibus⁴, ut apparet ex nonnullis canonibus. Can. 535 § 2 imponit obligationem adnotandi in libro baptizatorum «*quae pertinent ad statum canonicum christifidelium*», qui tamen ulterius specificatur «*ratione matrimonii*», «*ratione adoptionis*», «*ratione suscepti ordinis sacri*», ratione «*professionis perpetuae*», «*rationes mutati ritus*». Etiam in § 3 eiusdem canonis venit quaestio «*de statu canonico christifidelium*». In can. 1518 praesupponitur quod unusquisque christifidelis proprium statum habeat et mutare possit.

3) Saepe saepius venit quaestio de «*statu libero*» (can. 645; 1113; 1114; 1121 § 3); de statu matrimoniali vel coniugali (can. 226 § 1; 1063; 1063, 2; 1134); de statu clericali vel de statu caelibatus vel de statu proprio (can. 247 § 1; 282 § 2; 384; 555 § 1, 2; 285 § 1; 194 § 1, 1; 278 § 1; 285 § 2; 289 § 1; 289 § 2; 290; 292; 293; 1712). Locutio «*status clericalis*» recurrit modo peculiari praesertim cum agitur de amissione eiusdem status, uti manifeste apparet in canonibus citatis; de statu religioso, vel vitae consecratae (can. 207 § 2; 574 § 1; 574 § 2; 588 § 1; 598 § 2; 604 § 2).

4) Fundamentum alicuius status vel est sacramentale, vel non sacramentale. Quoad statum christifidelium in genere fundamentum invenitur in baptismo; status autem matrimonialis est ipsum matrimonium, quod inter christifideles est «sacramentum» (cf.

cis in Ecclesia, in *Periodica* 71 (1982) 380-396; P.A. BONNET, *De Christifidelibus communi statu (iuxta Schema 1979 L.E.F.) animadversiones*, in *Periodica* 71 (1982) 463-528.

⁴ L. LARICCIA, *Il communis christifidelium status nell'ordinamento della Chiesa*, in *Atti del Congresso Internazionale di diritto canonico, La Chiesa dopo il Concilio*, vol. II, 2, Milano 1972, pp. 861-868.

can. 1055 § 2); status autem religiosus vel vitae consecratae habet proprium fundamentum in professione consiliorum evangelicorum, quae, uti patet, non est sacramentum. Status clericalis autem fundatur in sacramento ordinis.

5) Sed aliud est fundamentum status, aliud autem ipse status. Cum habetur fundamentum, ordinatio canonica alia ulteriora determinat, ita ut habeatur complexus iurium et officiorum, qui praecise statum vitae constituit. Quaedam iura et officia exsurgunt vi ipsius fundamenti et sunt iure divino, alia adduntur lege positiva Ecclesiae; quaedam sunt absoluta, necessaria et immutabilia; alia autem relativa et contingentia, ergo mutabilia. Quaedam dicuntur in codice propria (cf. can. 278 § 3; 292, 1712) vel aliena (cf. can. 285 § 2; 289 § 2); indecora (cf. can. 285 § 1) vel congrua (cf. can. 555 § 1, 2; 278 § 1; 289 § 1) singulis statibus personarum canonicis. Ex complexu iurium et officiorum derivatur etiam stylus vitae, id est modus vivendi proprius cuiusque status. Hoc apparet praesertim quoad statum clericorum. Canones peculiare quae determinant huiusmodi modum vivendi sunt illi qui agunt «*de clericorum obligationibus et iuribus*» (cann. 273-289)⁵.

6) Inter clericorum obligationes, peculiarem locum obtinet lex caelibatus, de qua in can. 277. Agitur de lege quae originem antiquissimam habet, quaeque fundatur in ipsis verbis Domini et in traditione apostolica⁶. Quamvis ultimatim sit lex positiva Eccle-

⁵ T. BERTONE, *Obblighi e diritti dei chierici: missione e spiritualità del presbitero*, in *Monitor Ecclesiasticus*, (1984) 59-69.

⁶ R. CHOLIJ, *De caelibatu sacerdotali in Ecclesia Orientali nova historica investigatio*, in *Periodica* 77 (1988) 3-31; ID., *De lege caelibatus sacerdotalis nova investigationis elementa*, in *Periodica* 78 (1989) 157-185.

siae, non possunt negligi rationes theologicae, historicae et pastorales. Affirmari potest quod in vitam spiritualem et modum vivendi clericorum, necnon circa ipsam activitatem pastorem influxum maximi momenti exercet obligatio caelibatus. Intelligitur cur Auctoritas ecclesiastica magnum momentum tribuat huic legi⁷.

7) Tandem notandum est «statum vitae», quamvis fundamentum sit in nonnullis casibus sacramentale et quidem indelebile, esse institutum iuridicum positivum, in quantum innuit complexum iurium et officiorum in vita ecclesiali. Quamvis maneat fundamentum (sacra ordinatio), cessare potest status clericalis; id est cessare possunt iura et obligationes, quae lege positiva determinantur ad constituendum statum vitae; immo status vitae cessare potest, quamvis fortasse non omnes cessant obligationes (e.g., dimissio e statu clericali non tollit obligationem servandi caelibatum).

3. Status clericalis

1) Manente aequalitate «*quoad dignitatem et actionem*», inter christifideles dantur distinctiones quoad condiciones canonicam et munus. Can. 207 § 1 primam memorat distinctionem inter christifideles, quam «*ex divina institutione*» vocat: nonnulli christifi-

⁷ W. BERTRAMS, *Il celibato sacerdotale, significato e motivi*, Pontificia Università Gregoriana, 1962; A. STICKLER, *La continenza dei diaconi specialmente nel primo millennio della Chiesa*, in *Salesianum* (1964) 275-302; ID., *Tratti salienti nella storia del celibato*, in *Sacra Doctrina* (1970) 585-620; C. COCHINI, *Origines apostoliques du célibat sacerdotal*, Paris, 1981; G. VERSALDI, *Celibato sacerdotale: aspetti canonici e psicologici*, in *Vaticano II: Bilancio e prospettive*, ed. Cittadella, Assisi 1987, vol. II, 1171-1193.

deles vocantur ministri sacri seu clerici⁸, alii sunt laici. Clerici fiunt christifideles mediante sacramento ordinis, ut affirmat can. 1008:

«Sacramento ordinis ex divina institutione inter christifideles quidam, caractere indelebili quo signantur, constituuntur sacri ministri, qui nempe consecrantur et deputantur ut, pro suo quisque gradu, in persona Christi Capitis munera docendi, sanctificandi et regendi adimplentes, Dei populum pascant».

Can. 1009 § 1, ulterius determinat episcopatum, presbyteratum et diaconatum esse ordines⁹.

2) Aliquis fit clericus *«per receptum diaconatum»* et incardinatur alicui Ecclesiae particolari, vel prelaturae personali, vel instituto vitae consecratae vel societati vitae apostolicae (cf. cann. 265-266). Incardinatio magnum momentum habet in disciplina clericali¹⁰. Can. 265 firmat principium iam ab antiquis temporibus vicens in traditione: *«Quemlibet clericum oportet esse incardinatum... ita ut clerici acephali seu vagi minime admittantur»*. Nexus habetur inter statum clericalem et incardinationem, agitur tamen de rebus distinctis quae etiam aliquando separari possunt. Cum dari non possunt clerici acephali, id est non incardinati, non amittit clericus incardinationem nisi amissione

⁸ V. DE PAOLIS, *I ministri sacri o chierici*, in *Il fedele cristiano*, EDB, Bologna 1989, 103-173.

⁹ D. COMPOSTA, *Lo stato clericale nei suoi presupposti teologici*, in *Monitor Ecclesiasticus* (1984) 11-36. ID., *La consacrazione del sacerdote e il suo stato ecclesiale*, in *Il presbitero nel nuovo codice*, ed. Queriniana, Brescia 1985, 9-42.

¹⁰ E. COLAGIOVANNI, *Incardinazione e escardinazione nel nuovo Codice di diritto canonico*, in *Monitor Ecclesiasticus* (1984) 49-57.

eiusdem status clericalis. Clerici autem religiosi cum dimittuntur ab instituto, amittunt etiam incardinationem seu incorporationem instituto, quin tamen amittant statum clericalem (cf. can. 701). Ex dictis resultat momentum quaestionis amissionis status clericalis¹¹.

II. CODEX 1917

1. Statum clericalem quis ingrediebatur per primam tonsuram (cf. can. 108 § 1). Ideo incardinatio fiebat prima tonsura (cf. can. 111 § 1). Ordines autem erant sive minores (acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus) sive maiores (presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus) (cf. can. 949). Quidam ex divina institutione, alii ex Ecclesiae institutione (cf. can. 108 § 3). Obligationem legis caelibatus clerici tantum maiores assumebant, et quidem momento subdiaconatus (cf. can. 132 § 1). Haec obligatio autem manebat etiam si clericus in maioribus ordinibus constitutus ad statum laicalem reducebatur (cf. can. 213 § 1).

2. Reductionem autem ad statum laicalem, si agitur de clericis minoribus, statuebat can. 211 § 2:

«non solum ipso facto ob causas in iure descriptas, sed etiam sua ipsius voluntate, praemonito loci Ordinario, aut etiam Ordinarii decreto iusta de causa lato, si nempe Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter iudicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri».

3. Si autem agebatur de clerico maiori, tunc reductio ad statum clericalem tribus tantum modis fieri poterat, id est *«rescripto Sanctae Sedis, decreto*

¹¹ G. LOBINA, *Cessazione dell'esercizio del ministero e perdita dello stato clericale*, in *Monitor Ecclesiasticus* (1984) 171-186.

vel sententia ad normam can. 214, demum poena degradationis» (cf. can. 214 § 1).

Reductio ad statum laicalem effectus sequentes producebat:

«Omnes qui e clericali statu ad laicalem legitime redacti aut regressi sunt, eo ipso amittunt officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia et vetantur in habitu ecclesiastico incedere ac tonsuram deferre» (can. 213 § 1).

Notetur tamen praescriptum can. 882:

«In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto cann. 884, 2252».

Prohibetur, ad liceitatem tantum, absolutio complicitis in peccato turpi (cf. can. 884).

4. Si agebatur tamen de clerico in maioribus ordinibus constituto, ipse *«obligatione coelibatus teneatur»* (can. 213 § 2). De obligatione caelibatus servanda, sermonem faciebat codex etiam cum agebat de depositione (can. 1303), et de poena degradationis (cf. can. 2305). Depositio enim fiebat *«firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus»* (can. 2303 § 1); degradatio inter alia continebat *«reductionem clerici ad statum laicalem»* (cf. can. 2305 § 1). Sive autem depositio sive degradatio erant poenae, quae non auferebant obligationes status clericales.

5. Unicus casus quo praevidebatur possibilitas reductionis ad statum laicalem et simul dispensationis ab obligatione caelibatus habebatur in can. 214. Agitur de clerico

«qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea, remoto metu, eandem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subiicere» (§ 1).

Ut tamen in casu obtineret reductionem ad statum laicalem et liberationem ab onere caelibatus, clericus debebat ad competentem auctoritatem recurrere, quae sententia vel decreto, *«legitime probata coactione et ratihabitionis defectu»*, pronuntiabat vel decernebat reductionem ad statum laicalem *«sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus»*. Idem codex in cann. 1993-1998 normas praebebat procedurales ad huiusmodi causas pertractandas.

6. In canone autem 1993 duae adducebantur hypotheses. Praeter illam de qua in can. 214, id est de obligationibus ex sacra ordinatione contractis, quaestio fiebat etiam de validitate ipsa sacrae ordinationis. Congregatio competens erat de disciplina Sacramentorum vel, *«si ordinatio impugnatur ob defectum substantialem sacri ritus»*, Congregatio S. Officii.

Praeterea idem can. 1993 affirmabat spectare ad Sacram Congregationem definire *«utrum causa iudiciario ordine an disciplinae tramite sit pertractanda»*.

Actio duplex praebebatur et distincta. Tamen can. 1997 statuebat:

«quamvis actio instituta fuerit non super ipsamet sacrae ordinationis nullitate, sed super obligationibus tantum ex ipsa sacra ordinatione exsurgentibus, nihilominus clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus».

Tandem *«duae requiruntur sententiae conformes»* ut clericus liber sit ab obligationibus quae a vinculo ordinationis manabant.

7. Ex brevissima analysi disciplinae codicis 1917

resultat quod amissio status clericalis appellabatur reductio ad statum laicalem, quaeque tribus modis fieri poterat: per rescriptum Sanctae Sedis, per decretum vel sententiam, poena degradationis (can. 211). Unus tantum ex istis tribus modis secumferebat dispensationem ab onere coelibatus, id est per decretum vel sententiam iudicalem propter impugnationem validitatis sacrae ordinationis vel validitatem onerum ex sacra ordinatione derivantium, ad normam canonum 1993-1998. Sequitur quod generatim decretum reductionis ad statum laicalem, quo quis reducebatur ad statum laicalem, non auferebat obligationem ad caelibatum servandum. Ex hac animadversione sequitur etiam quod iura et officia statui clericali adnexa non possunt confundi cum obligatione servandi coelibatus; immo haec obligatio manere poterat, quin clericus adhuc esset in statu clericali constitutus.

III. PRAXIS TEMPORE INTERMEDIO INTER CIC 1917 ET CIC 1983

1. Praeprimis dicendum est quod praxis Congregationis de disciplina sacramentorum, cum agebatur de causis circa nullitatem sacrae ordinationis vel circa nullitatem onerum, tribus generatim concordabat dubia formulis: «a) *An constet de nullitate sacrae ordinationis*; b) *An constet de nullitate assumptionis onerum*; et quatenus negative, c) *utrum consilium praestandum sit SS. mo pro dispensatione*»¹². Hoc modo iam praevidebatur dispensatio ab oneribus ex sacra ordinatione exsurgentibus, non excluso onere coelibatu. Sed

¹² Cf. E. COLAGIOVANNI, *La procedura per la dispensa dagli oneri del sacerdozio e del diaconato in I procedimenti speciali nel diritto canonico*, Libreria Editrice Vaticana, 1992, p. 374.

dispensatio non erat communis. Non frequentiores erant enim causae de nullitate ordinationis vel onerum. Immo videtur talis dispensatio habebatur tantum in casibus in quibus, quamvis non constaret de nullitate onerum, tamen elementa plura dabantur ordinis psychologici, quae inducebant ad dispensationem concedendam¹³.

2. Praxis tam rigida de facto mitigata est in nonnullis casibus. Iam post primum bellum mondiale, BENEDICTUS XV nonnullas dispensationes concessit sacerdotibus, qui consequentias ordinis non tantum physici, sed etiam psychici et spiritualis passi erant. Sed agebatur de casibus potius rarioribus. Immo decursu temporis disciplina adhuc rigidior facta est.

3. In foro interno Tribunal Sacrae Paenitentiariae a censuris absolvebat sacerdotes, qui matrimonium attentaverant; illos ad sacramenta admittebat, remoto tamen scandalo, dummodo tamen cum comparte tamquam fratres et sorores viverent.

4. Post secundum bellum mondiale iterum proponuntur casus sacerdotum, qui ministerium sacerdotale relinquerant, atque matrimonium attentaverant. Summus Pontifex Pius XII considerabat huiusmodi sacerdotes tamquam ordinatos, qui tamen numquam ordinari debuissent. Paucae de facto dispensationes datae sunt. Eandem praxim secutus est JOANNES XXIII. Causae horum sacerdotum commissae fuerunt Congregationi Sancti Officii.

5. Concilium Vaticanum II nonnullas suggestiones dedit Summo Pontifici, praesertim quoad considerationem nonnullorum casuum. Ad huiusmodi casus magis ac magis frequentes, Congregatio Sancti

¹³ *Ib.*

Officii dedit primas normas, 2 feb. 1964, ad illos examinandos, quaeque communicatae sunt Ordinariis sub titulo «*Normae ad processus de sacerdotibus lapsis apparandos*». Initio legimus rationes:

«*Sanctissimus D.N.D. Paulus divina providentia Papa VI, vehementer sollicitus de sacro coelibatu tuendo et immaculate servando, anxius tamen de illorum sorte, qui propriam sacerdotalem dignitatem et sacrae ordinationis onera neglexerunt, eoque interdum devenientes ut sese mulieribus devincerent... constituere dignatus est in Suprema Sacra Congregatione S. Officii specialem commissionem, cui posthac munus exclusivum competat examini subiiciendi omnes ac singulos casus de sacra ordinatione et adnexis oneribus (causis non exceptis de quibus in can. 214 CIC). Hoc nimirum fine ut, sedula indagazione ac prudenti iudicio praehabitis, ipsorum sacerdotum spirituali bono consulatur, ita tamen ut coelibatus sacerdotalis magis corroboretur atque sua integritate refulgeat*»¹⁴.

Cura Summi Pontificis fuit sanare, in quantum possibile, situationes praegressas. Competentia huiusmodi commissionis extendebatur ad sacerdotes iam lapsos, ut ceterum in ipso titulo sonat:

«*Praeterea idem summus pontifex, paterna miseratione compulsus et plurium em.morum et exc.morum patrum oecumenici concilii Vaticani II precibus et votis obsecundans, disponere dignatus est ut commissio S. Officii casus etiam perpendat illorum sacerdotum qui iamdiu in concubinato vel in attentato matrimonio civili versantur, quorumque aetas satis propecta est ac vera condicio vix nota. Huiusmodi casus commissio illa, proponentibus ordinariis necnon moderatoribus generalibus, suscipiet atque, facto verbo cum sanctissimo, iisdem ordinariis facultatem communicabit assistendi talium sacerdotum matrimonio conscientiae, quod quidem matrimonium coram ipso loci ordinario sine testibus*

¹⁴ EV, S1, n. 26.

et notario erit celebrandum cuiusque acta in secreto curiae tabulario erunt asservanda et S. Officio notificanda»¹⁵.

6. Documentum tamen, dum sanat situationes irreparabiles, intendit praevenire ultiores casus defectionum. Commedat iterum ut

«defectionum ac praevaricationum causae et occasiones radicitus evellantur, diligentiori adhibita cura in candidatis ad sacerdotium seligendis, tum in eorum vocatione provehenda atque conscientia de castitatis ac coelibatus pondere et pulchritudine mature efformanda, tum denique in iunioribus levitis sedulo vigilandis et adiuvandis in sacro animarum ministerio»¹⁶.

Ad hunc finem attingendum, media etiam indicat necessaria circa severius examen candidatorum et circa selectionem moderatorum seminariorum¹⁷.

7. Hoc tempore plures interventus in discussionem ponunt legem coelibatus, contra quos reactionem facit Ecclesia¹⁸. Summus Pontifex litteras encyclicas dedit *Sacerdotalis caelibatus*¹⁹, ad extollendum momentum caelibatus sacerdotalis. Interea aestimatur necessarius interventus ulterior, ad praecisandas rationes vel causas ad concedendam dispensationem ab obligatione caelibatus. Die 16 aprilis 1970 documentum promulgatum est *«De causis dispensationis ab oneribus e sacra ordinatione manantibus»*. Quatuor enuntiatur causae ad concedendam dispensationem:

¹⁵ EV, S1, n. 28.

¹⁶ EV, S1, n. 27.

¹⁷ *Ib.*

¹⁸ Vide in EV, II, nn. 1415-1513 (Litterae encyclicae *Sacerdotalis Caelibatus*, 24 junii 1967, AAS 59 (1967) 657-697. III, nn. 791-795; nn. 1876-1879; nn. 1958-1971.

¹⁹ EV, II, nn. 1415-1513.

1) «*Sacerdotes propectae aetatis, qui multis antea annis matrimonium civile attentaverint vel in concubinato vixerint vel, etiamsi nullum ligamen contraxerint, a sacerdotio tamen pluribus abhinc annis defecerint et nunc sincera paenitentia moti sunt et sine scandalo vivunt*»; 2) «*Sacerdotes qui a pluribus annis vitam scandalosam in statu clericali duxerunt nec ullo modo resipiscere voluerint, imposita prius tamen reductione ad statum laicalem ob indignitatem vel, si casus ferat, in poenam*»; 3) «*Sacerdotes qui ordinari nunquam debuissent ob carentiam idoneitatis*»; 4) «*Sacerdotes, qui... superveniente vel quadam calamitate (v.g. collisione curriculum, ex gravi lapsu physico), vel quadam infirmitate (v.g. ex morbo gravi infectivo, ex debilitatione nervorum in forma incurabili) non amplius idonei evaserint ad sacerdotium ob profundam mutationem sive physicam sive psychicam*»²⁰.

8. Sed quaestio defectionum sacerdotum quamdam veluti eruptionem passa est ab anno 1960 et maxima cum consideratione examinata fuit sub Pontificatu PAULI VI. Hic summus Pontifex voluit studium²¹ circa defectiones sacerdotum et dispensationes datas ab anno 1939 ad annum 1969, quod publici iuris factum est ab ipsa Congregatione pro Doctrina Fidei, prout appellata fuit Congregatio Sancti Officii. In praefatione Cardinalis Praefectus sequentia scribebat:

«Obliviscendum autem non est hanc crisim alienam non esse ab ea transformatione socio-culturali qua nostris potissimum diebus afficitur fere universorum hominum consociatio, praesertim in suis junioribus membris... Ex instantia seu exigentia distinctionis et convergentiae rerum religiosarum et

²⁰ EV, S1, nn. 352-355.

²¹ E. COLAGIOVANNI, *Le defezioni dal Ministero sacerdotale, Studio statistico sociologico*, Sacra Congregazione per la Dottrina della Fede, Tipografia Poliglotta Vaticana, 1971, 254; ID., *Crisi vere e false nel ruolo del prete oggi. Uno studio sociologico a livello mondiale*, Roma 1973.

saecularium oriri possunt abnormes sic dictae "demistificationis", "desacralizationis", vel "declericalisationis": hinc experimenta "remetiendi munus" (ruolo) sacerdotale cum ingravescenti discrimine evertendi ipsam naturam Sacerdotii vel saltem inducendi incertitudinem, confusionem, frustrationem, circa identitatem muneris sacerdotalis».

Aliae causae adductae praeterea recensentur:

«homines nostri temporis, praetextu excutiendi sic dictae prejudiciales opiniones (tabu) sexuales, in dies magis obnoxii praebeantur rebus et commercio ad sexum pertinentibus, ac nomine pseudo-psychologiae et pseudo-sociologiae, ad conclusiones practicas moralitati contrarias atque coelibatui clericali infensissimas perveniant»²².

9. Studium peractum et publicatio Litt. Enc. *Sacerdotalis Caelibatus* occasio fuerunt ad novas normas edendas.

Die 13 januarii 1971, Congregatio pro doctrina fidei²³, novas emanavit normas circa reductionem ad statum laicalem: id est Litteras circulares et normas procedurales.

1) *Litterae Circulares* initium sumunt ab Encyclica *Sacerdotalis caelibatus*. Post revocatam in memoriam sollicitudinem Summi Pontificis erga sacerdotes infideles et expleta omni cura ad illos ad bonam frugem reducendos, modo peculiari sequentia verba recolunt:

«Quodsi aliquando fiat ut, quamvis is reduci non possit ad sacerdotii partes rursus sustinendas, sinceram tamen bonamque ostendat voluntatem christianae vitae ducendae, ut laicum decet, Apostolica Sedes, omnibus diligentissime perpensis, collatisque cum loci Ordinario vel cum Superiore

²² E. COLAGIOVANNI, *La procedura...* (cf. supra nt. 12), p. 375.

²³ EV, IV, n. 72-111.

religioso consiliis, potiolem habens amorem quam dolorem, postulatam dispensationem interdum concedit»²⁴.

Deinde Congregatio in mentem revocat praxim summorum Pontificum PII XII, IOANNIS XXIII et PAULI VI:

«Summi Pontifices Pius XII et Ioannes XXIII f.r. et Paulus VI Supremae tunc Sacrae Congregationi Sancti Officii examinandas commiserant supplices preces pro reductione ad statum laicalem cum dispensatione ab onere servandi caelibatum, ut casus, favorabili iudicio dignos, Pontificiae Audientiae exhiberet»²⁵.

Adducuntur rationes cur novae normae introducuntur:

«Plurimi Em.mi et Exc.mi Episcopi et Religiosorum Moderatores Generales petiverunt ut regulae servandae ad simpliciolem formam redigerentur ac consequenter contraheretur tempus solutionis causarum impendendum, sive in Curiis dioecesanis sive in hac Sacra Congregatione»²⁶.

Praecipuae novitates introductae sunt:

a) *«Loco processus iudicialis in Tribunali instructi nunc fit simplex investigatio, cuius propositum est detegere utrum motiva in petitione dispensationis ab onere caelibatus allata valeant et utrum ea quae orator asserit veritate nitantur»; b) «Novae normae munus peragendae investigationis committunt proprio Ordinario oratoris, sive dioecesano sive religioso»;*

c) *In ipsa Congregatione «examen actorum a competenti Praelato missorum ad simpliciolem regu-*

²⁴ EV, IV, n. 72.

²⁵ *Id.*, n. 73.

²⁶ *Id.*, n. 74.

lam accomodabitur»; d) Ipsa communicatio rescripti dispensationis celerior fit²⁷.

In fine, eadem Congregatio exprimit mentem Summi Pontificis quoad hanc materiam:

«Haec quidem in Normis nunc editis potiore aliqua ratione immutant et complent Normas anno 1964 latas. At ipsis Normis praesupponendum est, Normarumque usum regere debet praegrave officium, omnibus Episcopis Superioribusque religiosi incumbens, quo etiam se obstrictam persentit haec S. Congregatio, cui in primis Summus Pontifex satisfacere intendit, omnia experiendi (antequam recursus instituitur ad Supremam Ecclesiae Auctoritatem pro solvendis casibus misericordia dignis, quos memorant Encyclicae Litterae Sacerdotalis caelibatus) ut sacerdotes qui discedendi temptatione laborant suas difficultates vincant»²⁸.

2) *Normae quae sequuntur* litteras circulares septem partes continent, quae agunt respective 1) De iis quae sunt explenda ante propositionem casuum ad Sanctam Sedem ut quis a proposito valedicendi sacerdotio resiliat; 2) De natura investigationis ad informationes colligendas; 3) De auctoritate competenti cui munus incumbit peragendae investigationis; 4) Acta transmittenda ad S. Congregationem pro doctrina fidei; 5) Rescriptum reductionis ad statum laicalem cum dispensatione ab oneribus cum Sacra Ordinatione conexis; 6) Condiciones servandae sacerdoti dispensato; 7) De casibus in quibus ex officio est procedendum²⁹.

10. Sed post fere unum annum, id est die 26 iunii 1972, necessaria fuit quaedam declaratio, cum diffi-

²⁷ *Id.*, nn. 76-80.

²⁸ *Id.*, n. 82.

²⁹ *Id.*, nn. 83-104.

cultates et dubia mota sunt circa normarum interpretationem. Haec declaratio manifestat praeoccupationem Congregationis, ne ex applicatione indiscriminata, lex caelibatus in periculum incidat. Ideo Congregatio praeprimis confirmat quod prima cura est reducere ad bonam frugem sacerdotem debilem:

«Hoc Sacrum Dicasterium Ordinario enixe adhortatur ut, pro eorum laudanda prudentia, "opportune et importune" Sacerdotibus qui in crisi vocationis versantur paterne assistere velint, ne in re tam gravis momenti, tum pro eorum ipsorum futuro, tum pro bono Ecclesiae praecipitanter agant, nec dispensationem sine gravibus obiectivis rationibus petant».

Deinde recensentur rationes adductae quae non aestimantur sufficientes:

«Hac de causa non quaecumque rationes propositae semper sufficientes seu validae censendae sunt ad imploratam gratiam obtinendam. Ita sufficientes dici nequeunt: a) simplex voluntas nubendi. b) legis sacri caelibatus contemptus. c) attentatum matrimonium civile vel praestituta dies pro matrimonii celebratione cum spe dispensationem sic facilius obtinendi».

Petitiones quae nituntur tantum istis rationibus non sunt mittendae pro petenda dispensatione. Tandem dubio num Ordinarii vi can. 81 CIC, id est facultate dispensandi quam habent in legibus ecclesiasticis, possint dispensare etiam a lege caelibatus, responsum datur «negative». Adducitur etiam ratio: *«Haec enim dispensatio unice et personaliter Summo Pontifici reservatur»*³⁰.

11. Difficultates et defectiones frequentiores factae sunt decursu temporis, praesertim quia sacerdotes

³⁰ *Id.*, nn. 105-108.

iuvenes, coram primis difficultatibus, ministerium relinquebant et dispensationem petebant. Praeterea institutio fieri poterat sine sufficienti et necessaria diligentia et severitate: possibilitas obtinendi dispensationem faciliorem reddebat viam ad sacerdotium etiam illis qui non erant apti, vel sine sufficienti ponderatione. Necessarium duxit auctoritas ecclesiastica totam rem iterum examinare. Summus Pontifex IOANNES PAULUS II, iam ab initio sui Pontificatus, suspendit applicationem normarum, atque novas iussit parari, quae publici iuris factae sunt 14 oct. 1980 a Congregatione pro doctrina fidei³¹.

Documentum duobus constat partibus: veniunt praeprimis Litterae circulares, quibus explicantur rationes novarum normarum, deinde ipsae normae.

1) *Litterae circulares* in mentem revocant doctrinam semper propugnata[m] sive a PAULO VI sive a IOANNE PAULO II circa excellentiam caelibatus, quae in evangelio fundatur et ipsa vita Christi, atque firma manet in doctrina apostolica et in traditione Ecclesiae. Ideo

«ecclesia latina voluit etiamque nunc vult ut omnes illi qui ordinis recipiunt sacramentum, amplectantur hanc renuntiationem non solum ut signum eschatologicum, sed etiam ut «signum alicuius libertatis quae vicissim ad ministerium destinatur»³².

Clericus assumit hanc obligationem

³¹ AAS 72 (1980) 1132-1135; EV, VII, nn. 572-586; E. COLAGIOVANNI, *De Dispensatione a caelibatu sacerdotali iuxta novas normas*, in *Monitor Ecclesiasticus* (1981) 212 ss.; M. ZALBA, *De sacerdotalis caelibatus dispensatione normae hodiernae*, in *Periodica* 70 (1981) 237-256.

³² EV, VII, n. 572.

«plena quidem cum conscientia ac libertate, postquam plurium annorum praeparationem absolvit in eamque rem deliberationem accuratam et precem plurimam contulit. Tunc solum init consilium vitae in caelibatu ducendae, cum firmiter sibi persuasit Christus sibi donum illud concedere ad totius ecclesiae emolumentum aliorumque famulatum... Perspicuum hinc est consilium sic captum iam obligare non tantum ob aliquam legem ab ecclesia latam, sed etiam ex ipsa conscientia officiorum nominatim ab homine susceptorum. Interest propterea ut stetur datis Christo atque ecclesiae promissis»³³.

Documentum mentionem facit de difficultatibus *«quas praesertim ultimorum annorum decursu sacerdotes experti sunt»*, quaeque

«effecerunt ut haud parvus eorum numerus postulaverint dispensationem ab obligationibus ex ipsorum sacerdotali ordinatione manantibus, peculiarique modo dispensatione a caelibatu. Ob latam diffusionem huius facti... summus pontifex Ioannes Paulus II inde ab initio supremi sui ministerii apostolici in persuasionem pervenit de necessitate investigationis instruendae circa rerum condicionem inde ortam, eius causas et opportuna remedia adhibenda»³⁴.

Praecavendum tamen est

«ne tam gravis momenti causa, cuiusmodi est dispensatio a caelibatu, habeatur tamquam ius, quod ecclesia agnoscere debeat indiscriminatim proprium omnium suorum sacerdotum; dum e contra verum ius illud censendum est, quod sacerdos per sui oblationem contulit Christo cunctoque populo Dei, qui propterea ab ipso exspectant observantiam fidelitatis promissae, gravibus nonobstantibus difficultatibus, quae hac in vita illi occurrere possunt. Pariter cavendum est ne dispensatio a caelibatu labente tempore haberi possit tamquam effectus quasi automaticus alicuius summa-

³³ *Ib.*

³⁴ *Id.*, n. 573.

rii processus administrativi... Nimis magna bona hic in discrimen adducuntur»³⁵.

In hoc contextu paratae sunt novae normae quae regulant petitionem et concessionem dispensationis. En criteria:

«In examine peragendo petitionum, quae ad sedem apostolicam mittuntur, praeter casus sacerdotum qui, sacerdotali vita iamdiu relictā, rerum statum a quo recedere nequeunt, sanare exoptant, Sacra Congregatio pro doctrina fidei considerandum suscipiet illorum casum, qui ordinationem sacerdotalem recipere non debuerant, quia scilicet vel debitus libertatis vel responsabilitatis respectus defuit, vel competentes superiores opportuno tempore non valuerunt modo prudenti ac satis idoneo iudicare, num candidatus reapse aptus esset ad vitam perpetuo ducendam, in caelibatu Deo dedicato»³⁶.

Concludunt litterae circulares severa monitione de vitanda quavis levi agendi ratione *«quae cum sacerdotii significationem, sacram indole ordinationis et gravitatem obligationum antea susceptarum immi-
nuat, maximum sane potest detrimentum afferre et certe tristem admirationem et scandalum apud pluri-
mos christifideles inducere*»³⁷.

IV. DISCIPLINA CODICIS 1983

1. Quaedam animadversiones generales

1) Praeprimis, sub aspectu terminologico, cōdex non amplius loquitur de reductione ad statum laica-

³⁵ *Id.*, n. 574.

³⁶ *Id.*, n. 576.

³⁷ *Ib.*

lem, sed «*de amissione status clericalis*». Nova terminologia manifestat novam sensibilitatem, praesertim quoad laicos. Locutio «*reductio ad statum laicalem*» sonat aliquantulum offensiva contra laicos et contra eorum statum vitae, qui propria dignitate gaudet.

2) Dicendum ulterius est non esse confundendam amissionem status clericalis cum dispensatione ab onere sacerdotalis caelibatus, quamvis saepe saepius simul tractantur. Tamen disciplina est autonoma et distincta, quae regit amissionem status clericalis et obligationem sacerdotalis caelibatus. Status clericalis amitti potest, manente caelibatu; et etiam, quamvis rarius, status clericalis coexistere potest cum statu matrimoniali, dummodo sacerdos et uxor vivant in perfecta continentia et remoto scandalo fidelium, per peculiarem et specificam concessionem Summi Pontificis in casibus omnino exceptionalibus.

3) Lex sacerdotalis caelibatus servat in disciplina codicis suum rigorem, praesertim si agitur de caelibatu sacerdotis, et maiori ratione si agitur de episcopo. Can. 87 § 2 excludit modo absoluto potestatem dispensandi a lege caelibatus ex parte Episcopi; ne in periculo mortis quidem datur potestas dispensandi ab impedimento ordinis sacri, si agitur de presbytero (cf. can. 1079 § 1); a fortiori si agitur tantum de casu urgentiori «*cum iam omnia sunt parata ad nuptias*» (cf. can. 1080 § 1).

4) Can. 290 bene distinguit sacram ordinationem et statum clericalem. Sacra ordinatio «*semel valida recepta, numquam irrita fit*». Agitur de doctrina constanti in traditione Ecclesiae et in eius magisterio. Sacramentum ordinis signat ordinatum caractere indelebili, consecrat et constituit ministrum sacrum (cf. can. 1008). Status clericalis fundatur in ipsa ordinatione valide recepta, sed non agitur de eadem

re. Amitti potest status clericalis, quamvis remaneat valida consecratio. Status clericalis includit enim etiam iura et obligationes iuris positivi Ecclesiae, quae amitti vel tolli possunt. Amissio status clericalis autem habetur tantum cum omnia amittuntur iura et obligationes, et quidem modo perpetuo, non autem si tantum modo partiali vel modo temporaneo. Sub hoc aspectu amissio status clericalis non est confundenda cum suspensione, etiam generali, vel cum alia poena ecclesiastica, quamvis perpetua, vel cum sic dicta exclaustatione qualificata. In illis casibus in quibus amissio status clericalis non liberat ab onere caelibatus, haec obligatio non amplius fundatur in statu clericali qua tali, sed in fidelitate servanda promissioni factae, cum lex caelibatus assumpta est.

2. Modi quibus amittitur status clericalis

Tres sunt modi quibus amittitur status clericalis, prout affirmat can. 290, id est:

«1º sententia iudiciali aut decreto administrativo, quo invaliditas sacrae ordinationis declaratur; 2º poena dimissionis legitime irrogata; 3º rescripto Apostolicae Sedis; quod vero rescriptum diaconis ob graves causas, presbyteris ob gravissimas causas ab Apostolica Sede conceditur».

1) Amissio per sententiam iudicalem aut decretum administrativum: can. 290, 1º.

Ad hunc primum recurrentum est cum agitur de causa invaliditatis sacrae ordinationis. Quenam sit procedura in casu, tractat codex in cann. 1708-1712.

a. Obiectum huius processus est tantum causa circa validitatem sacrae ordinationis. Ius accusandi habet *«sive clericus sive Ordinarius, cui clericus subest vel in cuius dioecesi ordinatus est»*; esse potest ergo

sive ordinarius proprius, sive ordinarius loci ordinationis (cf. can. 1708). Cum libellus mittitur «*clericus ordines exercere ipso iure vetatur*» (can. 1709 § 2). Non agitur de poena, cum nullum delictum datur in casu, sed de actu prudentiali. In ipso libello habetur saltem fumus boni iuris, quod ordinatio non sit valida; est saltem dubia. Non possunt poni actus sacramentales in dubio circa eorum validitatem.

b. Libellus mittendus est ad competentem Congregationem, «*quae decernet utrum causa ab ipsa Curiae Romanae Congregatione an a tribunali ab ea designato sit agenda*». Via sequenda pendet tantum a iudicio competentis dicasterii. Si via iudicialis praescribitur, tunc servandi sunt «*canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario*», ad mentem can. 1710. Partem habet in processu et cum iisdem iuribus ac in causis matrimonialibus, defensor vinculi (cf. can. 1711). Cum data sit duplex sententia conformis in favorem nullitatis sacrae ordinationis, «*clericus omnia iura statui clericali propria amittit et ab omnibus obligationibus liberatur*» (can. 1712).

c. Congregatio competens secundum can. 1993 § 1 CIC 17 erat vel de disciplina Sacramentorum vel Sancti Officii, si ordinatio impugnabatur «*ob defectum substantialem sacri ritus*». Ratio competentiae Sancti Officii inveniebatur in eo quod defectus substantialis est potius quaestio de doctrina fidei quam de disciplina sacramentorum. Hanc competentiam servat etiam hodie Congregatio pro doctrina fidei, cum eius munus sit «*doctrinam de fide et moribus in universo orbe promovere atque tutari; proinde ipsi competunt ea, quae hanc materiam quoquo modo attingunt*»³⁸.

³⁸ Const. Ap. *Pastor Bonus*, n. 48.

Aliter Dicasterium competens est Congregatio de disciplina sacramentorum, cum ad eius competentiam spectet fovere et tueri «*Sacramentorum disciplinam, praesertim quod attinet ad eorum validam et licitam celebrationem*»³⁹, «*salva competentia Congregationis de Doctrina Fidei*»⁴⁰.

d. Magna tamen introducit innovatio quoad caput accusationis. In CIC 17 duo erant capita: nullitas sacrae ordinationis et nullitas onerum, cum clericus «*metu gravi coactus ordinem sacrum recepit*». Metus enim non necessario afficit nullitatem sacrae ordinationis. Onera tamen quae statui clericali adnecuntur in casu non assumuntur modo sufficienter libero. Ecclesia non potest urgere obligationes tam graves, praesertim caelibatus, quas clericus non assumpsit modo omnino libero. Exinde possibilitas quod, si clericus non habuit ratam ordinationem «*saltem tacite per ordinis exercitium*», onera declarentur nulla (cf. can. 214 § 1). In CIC 1983 unum tantum datur caput accusationis: invaliditas sacrae ordinationis. Non videtur esse lacuna iuris, sed quia altero casui iam provisum est litteris circularibus Congregationis pro doctrina fidei anni 1980: cum indicantur motiva ad petendam et obtinendam dispensationem ab oneribus sacerdotalibus, caelibatu incluso, recensetur casus illorum, «*qui ordinationem sacerdotalem recipere non debuerant, quia scilicet vel debitus libertatis vel responsabilitatis respectus defuit*»⁴¹. Praeterea praxis Congregationis est quod si non constat invaliditas sacrae ordinationis, sed de metu vel de absentia

³⁹ *Pastor Bonus*, 63.

⁴⁰ *Pastor Bonus*, 62.

⁴¹ EV, VII, n. 576.

libertatis necessariae in assumendis obligationibus, concedatur dispensatio ab oneribus sacerdotalibus omnibus. Amissio status clericalis per sententiam vel decretum semper secumfert amissionem status clericalis et dispensationem etiam a caelibatu.

2) Amissio status clericalis per poenam legitime irrogatam: can. 290, 2°

a. Agitur de poena dimissionis e statu clericali. Haec poena est gravissima. Est poena perpetua expiatoria (can. 1336 § 1, 5°). Applicari potest tantum propter delictum a lege praevisum; quod delictum statui autem potest tantum lege Ecclesiae universali, non autem particulari (cf. can. 1317). Est poena tantum ferendae sententiae; nunquam praevidetur obligatoria; praebetur uti extrema ratio, cum alia media insufficientia vel inepta evaserint. Tantum can. 1387 continet verba praeceptiva.

b. Codex continet tantum sex casus: 1° statuitur contra apostatam a fide, haereticum vel schismaticum «*si diuturna contumacia vel scandalii gravitas postulet*» (can. 1364 § 2); 2° contra illum qui vim physicam in Romanum Pontificem adhibet; dimissio addi potest «*pro delicti gravitate*» (cf. can. 1370 § 1); 3° contra sacerdotem reum delicti sollicitationis; clericus «*in casibus gravioribus dimittatur e statu clericali*» (cf. can. 1387); 4° contra clericum qui matrimonium civile attentat; «*quod si monitus non resipuerit et scandalum dare perrexerit, gradatim privationibus ac vel etiam dimissione e statu clericali puniri potest*» (cf. can. 1394 § 1); 5° contra clericos qui contra sextum decalogi praeceptum peccaverint, ad normam can. 1395 § 1; «*persistente post monitionem delicto, aliae poenae gradatim addi possunt usque ad dimissionem e statu clericali*» (cf. can. 1395 § 1); 6° contra clericos qui

violaverint sextum decalogi praeceptum ad normam can. 1395 § 2; «*non exclusa, si casus ferat, dimissione e statu clericali*».

c. Cum agitur de poena expiatoria perpetua, ipsa irrogari potest tantum via iudiciali (cf. can. 1342 § 2); in casu tribunal constare debet collegio saltem trium iudicum (cf. can. 1425 § 1, 2°). Processus regitur normis quae regulant processum poenalem (cf. cann. 1717-1728).

d. In normis anni 1971 circa reductionem ad statum laicalem, dabatur norma specialis, qua praevidebatur dimissio ex officio. En textus:

«Congrua congruis referendo, ea quae in his regulis statuta sunt pro casibus in quibus sacerdotes sponte petunt reductionem ad statum laicalem cum dispensatione ab oneribus ex sacra ordinatione manantibus, applicanda sunt etiam in casibus in quibus aliquis sacerdos, vel ob pravam vitam, vel ob errores in doctrina, vel ob aliam gravem causam, videtur post necessariam investigationem reducendus ad statum laicalem et simul ex misericordia dispensandus ne periculum aeternae damnationis incurrat»⁴².

Inter rationes autem ad concedendam dispensationem recensetur etiam haec:

«Sacerdotes qui a pluribus annis vitam scandalosam in statu clericali duxerunt nec ullo modo resipiscere voluerint, imposita prius tamen reductione ad statum laicalem ob indignitatem vel, si casus ferat, in poenam»⁴³.

Huiusmodi normae non amplius videntur adhuc vim habere. Ipsae enim videntur contra praescripta codicis, quia sunt contra codicem, sive in quantum

⁴² EV, IV, n. 104.

⁴³ EV, S1, n. 353.

admittitur dimissio in casibus iure non expressis, sive in quantum via praevidetur quae non est iudicialis, quaeque obligatoria est ad dimissionem faciendam.

e. Tandem dicendum est dimissionem poenalem e statu clericali non secumfert dispensationem ab onere caelibatus.

3) Rescriptum Apostolicae Sedis

a. Sedes Apostolica concedit indultum amissionis e statu clericali. Non agitur in casu de dimissione ad poenam delicti; sed de gratia, quae semper supponit petitionem. Cum gratia contineat dispensationem a nonnullis saltem obligationibus contractis coram Deo, semper requiritur iusta et rationabilis causa ad eam concedendam. Canon 90, cum agit de dispensatione a legibus ecclesiasticis requirit semper iustam et rationabilem causam *«habita ratione adiunctorum casus et gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio illicita est et, nisi ab ipso legislatore eiusve superiore data sit, etiam invalida»*. In casu de quo agimus dubitari potest num agatur tantum de lege ecclesiastica; agitur enim potius de obligationibus contractis coram Deo et Ecclesia; non est quaestio de dispensanda lege, sed de solvendis obligationibus iam contractis. Sed si requiritur iusta et rationabilis causa ad dispensandas leges ecclesiasticas, a fortiori ad dispensandas obligationes iam contractas. In casu auctoritas competens agit in foro Dei. Haec causa diversa est prout agitur de diaconis vel de presbyteris; in primo casu causae esse debent «graves»; in secundo «gravissimae». Nulla fit mentio de episcopis, quia nec praevidetur quidem possibilis dispensatio.

b. Haec dispensatio conceditur a Sede Apostolica, id est a dicasteriis competentibus, quae, si datur manente caelibatu, est Congregatio pro Clericis vel

Congregatio pro Institutis vitae consecratae: agitur enim in casu tantum de quaestione disciplinari.

3. Effectus amissionis status clericalis: can. 292

1) Amissio status clericalis et dispensatio ab onere caelibatus

a. Can 292 considerat effectus proprios amissionis status clericalis «*ad normam iuris*», id est vi can. 290, per sententiam vel decretum, vi poenae dimissionis, vel vi rescripti Sanctae Sedis.

Si quis relinquit simpliciter exercitium ministeriis sacerdotalis, et se subtrahit oboedientiae superiorum, manet in statu clericali cum omnibus obligationibus. Unici modi amittendi statum clericalem sunt illi de quibus in can. 290; si quis alio modo relinquit ministerium clericale vel non observat obligationes, agitur de puro facto, quod effectus iuridicos habere potest quoad disciplinam ecclesiasticam, non autem quoad amissionem status.

Haec amissio non secumfert dispensationem ab onere caelibatus, uti explicite asserit can. 291, ad quem remittit can. 292.

b. Amissio status clericalis et dispensatio ab oneribus caelibatus non sunt idem, uti iam diximus; aliquis amittere potest statum clericalem, et tamen manere potest vinculo caelibatus ligatus. Hoc accidit cum quis dimittitur e statu clericali, propter delictum; sed etiam fit cum quis simpliciter obtinet indultum discedendi e statu clericali a Sede Apostolica per rescriptum. Vi legis aliquis liberatur ab onere caelibatus tantum cum sententia vel decreto declarata fuerit invaliditas sacrae ordinationis. Accidere potest in rarissimis casibus quod quis sit in statu clericali,

vivente tamen in statu matrimoniali, sed in continentia et remoto scandalo.

Prima possibilitas explicite affirmatur a codice in can. 291, qui principium generale statuit: «*Amissio status clericalis non secumfert dispensationem ab obligatione caelibatus, quae ab uno tantum Romano Pontifice conceditur*». Hoc assertum roboratur etiam can. 87 § 2, qui explicite et modo absoluto excludit possibilitatem dispensandi a lege caelibatus ex parte Episcopi vel Ordinarii; et etiam can. 1079, qui excludit potestatem dispensandi etiam urgente mortis periculo.

2) Effectus amissionis status clericalis.

Positive, clericus qui amittit statum clericalem ad normam iuris, non amplius est clericus, quamvis fortasse adhuc servet obligationem caelibatus: amittit etiam iura propria statui clericali anexa, neque adstringitur obligationibus propriis status clericalis. Canon specificat consequentias: quoad potestatem ordinis, ordinatio semel valide recepta, semper manet, clericus tamen prohibetur eius exercitio excepto casu periculi mortis, ad normam can. 976; quoad officia, ad normam can. 145, et munera, manet privatus. Verbum «privatur» per se innuit poenam (cf. can. 196 § 1); de facto in casu non videtur necessario esse in poenam; quoad exercitium potestatis, clericus privatur etiam qualibet potestate, non solum ordinaria, id est annexa officio, sed etiam delegata.

3) Amissio status clericalis est perpetua (can. 293).

Amissio de se est perpetua, cum nullus statuatur terminus temporis. Possibilitas readmissionis per se

excluditur, quamvis non modo absoluto. Sed ex eo quod requiritur in casu rescriptum Sanctae Sedis clare manifestat mentem legislatoris. Casus sunt ponderandi maxima cum diligentia et attentione. Nulla fit readmissio si adhuc perdurat vinculum matrimoniale forte contractum.

Sed casus petitionis readmissionis hodie non rarius fiunt; et aliquando praesentant difficultates. Readmissio non fit sine debita praeparatione et experimentatione, id est per gressus. Sed praecise in hac gradualitate sub aspectu iuridico inveniri possunt difficultates. Agitur enim de personis quae iam nullam amplius habent incardinationem, neque exercere possunt ministeria clericalia. Ex una parte incardinatio fieri potest tantum cum quis iterum reassumitur in statum clericalem; ex altera parte, ille non reassumitur, nisi post aliquod tempus exercitii ministerialis per gradus et ad experimentum. Neque clare apparet quinam esse possit Ordinarius competens, cum clericus ex hypothesis non amplius est in statu clericali et non amplius est incardinatus.

Quaestio difficilior esse potest cum agitur de clerico religioso, qui dimissus sit e statu clericali. Supremus Moderator instituti religiosi, de consensu sui consilii, iterum admittere potest, ad normam can. 690, religiosum egressum, post congruam probationem praeviam professioni. Quaestio ponitur circa coordinationem inter admissionem in institutum et ad statum clericalem.

Cum can. 293 affirmet clericum non posse denuo inter clericos adscribi, «*nisi per Apostolicae Sedis rescriptum*», necessarium est quod casus deferatur ad ipsam Sedem Apostolicam, ita ut ipsa videat quid faciendum, quinam gressus sint faciendi, antequam ad statum clericalem iterum admittatur.

4. Dispensatio ab onere caelibatus ex parte Summi Pontificis

1) Dispensatio ab obligatione caelibatus conceditur tantum ab uno Romano Pontifice. Distinguenda tamen est dispensatio in favorem diaconi vel in favorem presbyteri; prima conceditur in praxi a Congregationibus competentibus; secunda regulatur normis Congregationis pro doctrina fidei, diei 14 octobris 1980. Hodie tamen competentia translata est ad Congregationem de disciplina Sacramentorum. Normae autem sunt eadem⁴⁴.

2) Rescriptum dispensationis ab obligatione caelibatus secumfert etiam amissionem e statu clericali; effectus continet omnes ac rescriptum amissionis status clericalis (cf. can. 292), praeter dispensationem ab obligatione caelibatus.

P. VELASIO DE PAOLIS, C.S.

⁴⁴ F. FERRARA, *Normae substantivae et procedurales nunc vigentes in petrandis causis de dispensatione a caelibatu sacerdotali*, in *Apollinaris* (1989) 513-540.